mates Ditmarum omnium primum, qui historiam condidisset, de eo Saxonia habet, quod jure gloriari possit. Cui hoc insuper accidit, quod de Ditmari exemplo evidens fit, quo otio, quo sumtu, illis opus sit, qui in historia tractanda facere operæ pretium gestiant. Omnino enim ita se habet, quod sapiens & gravis auctor Polybius in hanc sententiam asseverat, *eum, qui historias scribere velit, per omnem vitam tractatui huic incumbere, non obiter attingere oportere.* Verum hæc abrumpo, & postremò id moneo, cum de hac eruditæ doctrinæ parte fermè sola aqua, quod dicitur, hæreat, indeque ἐγκυκλοπαιδεία ipsa adhuc rupta sit, imprimis autem patriæ nostræ Germanicæ historia langueat: ut & illa justa partium serie cohæreat, & hæc tandem meliusculè habeat, vestro utrinque similium salubri aliquo atque maturo remedio præstari posse: eaque res vobis curæ sit, per illam nostram spectatissimam virtutem, per summam auctoritatem atq; gratiam, per solitam, hoc est providam atque incredibilem in repub. ornanda vigilantiam, denique per decus, quod agitur, publicum, nec tam nostram solius, quam communem omnium expectationem, obtestor & obsecro. Sic enim existimationem & gloriam vobis comparabitis, quam nullorum seculorum ætates obliterent, sed veram nominis immortalitatem pariat: & ego memoris studii prædicatione celebrabo, quæ tanto merito debita, proficisci à me potest. Bene & feliciter Valete, Francofurto ad Viadrum prid. Id. Sextil. M. D. LXXIX.

TESTI.